

quam patiuntur omnes, qui volunt in Christo piè vivere: secundum Apo-
 2. ad Tim. 3.12. stolicam mordacem veramque sententiam. Quid enim sic persequi-
 tur vitam bonorum, quam vitam iniquorum, non, cum cogit imitari, quod
 displicet; sed cum cogit dolere, quod videt? Quoniam coram pio vi-
 vens impiè, etsi non obligat consentientem; cruciat sentientem. Nam
 sæpe & diu impiorum corporibus, à secularibus Potestatibus & quorum-
 libet vexationibus, parcitur; piorum autem cordibus, à malis hominum
 moribus, nunquam usque ad hujus seculi finem. Sic ergo potius im-
 pletur, quod commemoravi dixisse Apostolum, quia omnes, qui volunt
 in Christo Jesu piè vivere, persecutionem patientur, & tanto amariùs, quan-
 to interiùs; donec diluvium transeat, ubi arca continet corvum & co-
 13. lumbam. Sed inhære, frater, illi, à quo audisti: *Qui perseveraverit usque
 in finem, hic salvus erit.* Coniungere Domino, ut crescat in novissimis vita
 tua. Scio enim non deesse recreationem cordis de fratribus bonis. Huic
 adijunge promissiones Dei fideles, magnas, certas, sempiternas, ipsiusque
 tolerantiae imperturbabilem ineffabilemque mercedem. Et vide, quam
 verum Domino cantes: *Secundum multitudinem dolorum meorum in cor-
 de meo, consolationes tue jocundaverunt animam meam.* Mitte fratri
 Psal. 93. (94.) 19. Firmiter literas nostras. Sanctitatem tuam & familiam Dei, quæ tuo
 ministerio gubernatur, fratres & sorores, quæ apud nos sunt, nobiscum
 in Domino resalutant. [*Et aliâ manu.*] Incolumes pro nobis oretis,
 dilectissimi & sanctissimi fratres!

676. Ego Alipius impensissimè saluto Sinceritatem tuam, omnesque
 tibi in Domino conjunctos, atque ut hanc tanquam meam epistolam
 deputes, peto. Etsi enim aliam propriam mittere potuissem; tamen
 malui huic subscribere, ut unanimitatem nostram una etiam pagina
 testaretur.

EPIST. CXLVI.

Augustinus Consentio, respondens illius quæstionibus, de
 corpore Christi & nostris corporibus, qualia futura sint
 in resurrectione.

Dilectissimo fratri, Consentio, Augustinus.

Meminit
 Possid. in
 Ind. & Eu-
 GYPP. T. 2.
 s. 343. **Q**UANTUM ad oculos attinet corporales; quosdam videmus, nec
 novimus, quorum à nobis studia vitaque nesciuntur; quosdam
 novimus, nec videmus, quorum nobis charitas & affectus innotuit;
 in quibus & te annumeramus, & ideo te magis videre desideramus,
 ut in iis sis, quos & videmus & novimus. Nam illi, qui ignoti nostris
 oculis